



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||
LAVRETANAE HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

Torsellini, Orazio

Romae, 1597

Cap. 1. Pij IV. & Card. Vrbinatis studiu[m] Lauret. Domus ornandæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

HORATII TVRSELLINI
 E SOCIETATE IESV
 LAVRETANAE HISTORIAE
 LIBER QVARTVS.



*Pij Quarti, & Cardinalis Vrbinatis studium
 Lauretanæ Domus ornanda.*

Cap. I.



INTER hæc Paulo III. Pius sublectus, cuius Pontificatus, ut pace Italiae lætior, ita decore Lauretanæ domus clarior extitit. Pius quippe superiorē domus Pontificiæ porticum magna exstruxit ex parte. Vetus Xenodochium nouo adiecto edificio, amplius, & commodius fecit. Lauretanum oppidum Recinetensibus ademptum sui iuris esse iussit anno seculi huius LXV. Adimedi causa fuit, quod negligenter ius dicere, labantes multis locis muros negligere arguebantur. Ita Lauretum trigesimo anno, quam à Paulo Tertio attributum Recinetensi ciuitati fuerat, à Pio Quarto in pristinam libertatem vindicatum est: & Lauretanus Præses octo aureorum millia Recinetensibus, vel inuitis remunerare iussus. Nec minor in cultu B. Virginis, quam in re Lauretana amplificanda optimi Pontificis pietas enituit. Canonicorum, ministrorumque numerum non nihil imminutum suppleuit. Collegium Societatis Iesu à Paulo amplificatum simul Pontificali diplomate stabiluit, simul redditibus auxit. Inter quæ Cardinali Car-

Y pensi

*Tradit. Lau.
 Riera in An
 nal. Lau.*

*Pij Quarti
 beneficia*

*Lauretū Re
 cinetensibus
 ademptum*

penſi humanis rebus erepto, Pontifex Laureti tutelam permifit Cardinali Vrbinati, qui nulli veterum Patronorum pietate, ac ſtudio erga Lauretanam Virginem ceſſit. Ac primum Pompeio Palanterio Aedis Lauretanæ cura, mandata, per eum templi tholum intrinſecus exornandum marmorato opere curauit. Ad radices Lauretani collis in via, quæ fert ad portum Recinetenſem, ſatis vberem, ornatumque peregrinis præbuit fontem. Inde per alios Præſides multa magnifice fecit, vt dicitur in loco.

*Picentium cura Aedis Lauretanæ aduerſus Turcas
tuenda, & B. Virg. tutela Domus ſuæ.*

Cap. II.

CAETERUM eâ tempeſtate Turcicæ claſſis Lauretum petentis terror, & Picentium erga B. Mariam religionem, & B. Mariæ in Picentes beneuolentiam oſtendit. Renunciatum erat ab exploratoribus, ingentem Turcarum claſſem (in qua eſſent triremes centum, & quinquaginta) ex Epiro ſoluiffe eo conſilio, vt Lauretano templo diſpoliato, Anconam inuaderent. Igitur paucis iuteriectis diebus, fama haud procul ab Italia viſæ hoſtium claſſis, ingenti tumultu conciuit Picentes. Inter primum tumultum pubes Recinetenſis Lauretum conuolant ad Aedem præſidio, armisque obtinendam: & patriæ ac ſuorum immemores Lauretum aggeribus, ac propugnaculis muniunt. Certatimque alij Picentium populi accurrunt: cuncta vicina littora complent armatis, Lauretanam præcipue Domum aduerſus Barbaros ſumma ope deſenſuri. Omnibus quippe votis expetendum exiſtimabant, ſi ita res ferret, pro illa, & in illius conſpectu, honeſta morte deſungi. His armorum præſidijs acceſſerunt acerrima aduerſus immanes Barbaros tela, aſſiduæ piorum preces. Quicquid ſacerdotum, quicquid piorum hominū

Laureti